

283. 7
1753
5
2

FORTVNANTE NVMINE EXVPERANTISSIMO
EXERCITATIO IVRIDICA PRIOR
DE
DIFFERENTIIS IVRIS
ROMANI ET GERMANICI
IN
ADDICTIONE
IN
SERVITVTEM
SPONTANEA
ET
ad L. 10. C. de Liberali causa
Q V A M
AVCTORIT. INLVST. I. CTORVM COLLEGI
IN REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
D. IOANNE PHILIPPO CARRACH
IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ET ORDINIS I. CTORVM
ADSESSORE
D. IVNII A. O. R. C¹⁵I¹⁶CCLII.
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTET
FRIDERICVS IMMANVEL SCHOLINV^S
ALSLEBIENSIS MAGDEBURGICVS.

HALLAE SALICAE
PRELO IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.

ADIECTIO
SERVATI
DIOCESE
JOVNE PROGYRACH
TITULUS
OVIDIUS
GREGORIUS
HOMILIA

VIRO EXCELLENTISSIMO
AMPLISSIMO CONSULTISSIMO QVE
D O M I N O
FRANCISCO CASIMIRO
S C H O L I N O
AVGVSTISSIMO PORVSSORVM REGI
IN CVRIA QVAE PER PROVINCIAM
MAGDEBURGICAM RERVM CAPITALIVM
QVAESTVRA FVNGITVR
A CONSILIIS
IN INCLVTISSIMO EIVSDEM PROVINCIAE
PRAETORIO ORATORI INTRA NVMERVM
DISERTISSIMO
PATRONO ET FAVTORI EXIMIO
PERENNI CVLTV OBSERVANDO
PATRVELI SVAVISSIMO DILECTISSIMO

PROSPERA QVAEVIS MERENTI PRECATV

OBSEQVIA ET REVERENTIAM
TESTATVR AC VOVET

FAVORI BENIGNITATIQVE EIVS

COMMENDATISSIMVM SE CVPIT

SPECIMEN ACADEMICVM HOC CE

IN SCRIBIT

ET EX VETERI FORMVLA

D. D. C.

IN CARIA GAVE HER PROVINCIAM

MAGDEBVRGICVM REVM CAPITALVM

GAVESTRA FANGI TAR

A CONSILIIS

IN INCULTISSIMO EISDEN PROVINCIÆ

PREFECTOIO ORATOR INTIA NAVERRA

DIFERITISSIMO

LATORIO ET FAYTORI EXIMO

CVLTOR ADDICTISSIMVS DEDITISSIMVS

OBSTRICTISSIMVS

FRIDERICVS IMMANVEL SCHOLINVS.



FORTVN. NVM. EXVPERANT,
EXERCITATIO IVRIDICA
DE
DIFFERENTIIS IVRIS
ROMANI ET GERMANICI
IN
ADDICTIONE
IN
SERVITVTEM SPONTANEA
et ad L. 10. C. de Liberal. caus.

§. I.

Eandem quidem seruire seruitutem Germanicas glebae adscriptas familias ac Romana compedibus vincta mancipia, si seruile ipsum, cui colla subdita sunt, speiemus iugum, solidis suffragantibus iuris principiis in dubium vix erit vocandum. Dissimilem ex aduerso in plerisque sortem utriusque seruorum generis iam pridem fuisse tacito auctore discimus, cuius de obnoxiosis Teutonum hominibus A toties

Discrepancia
Iuris Romanii
et Germanici
in seruitute
personarum.

2 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

toties a scriptoribus repetitum sermonem hoc transcribere res parum cogit. Sensu docuerunt idem tabellaque sanctionum, quae media conditae sunt aetate, autores, etiam illi, qui sibi maxime placuerunt in adulterandis peregrinarum legum admixtione Germanorum institutis. Ab ultimo, quo Franci aliqui Teutonico sanguine profati populi scriptis constitutionibus viuere coeperunt, aeo vsque ad recentissimi punctum temporis constans tribunalium per plurimas Germaniae prouincias vsus innumera exhibet discrepantis indolis hominum priorum, vti vocantur, et seruorum Romanorum documenta. Perspecta dudum haee Transalpinarum atque Cisalpinarum rerum dissensio insignibus ad laudem viris, qui priorum iurium curiosi nec tamen inermes ac nudi fuerunt in ea, quae Romanas leges docet, studii nostri parte. Non omnes quidem eorum ordine ediffertandi animus est, ne librorum potius notitiae ac percensorum autorum specimen meditari videar quam iuris intelligentiae. Parum multos itaque annumerans preeprimis compello 10. SCHILTERVM¹⁾, CHRIST. THOMASIVM²⁾ IO. PETR. de LVDEWIG³⁾ et IVST. HENN. BOEHMERVM⁴⁾ tria Fridericiana fidera,

DAV.

1) Exercit. ad Pandect. III. §. 1. ad 5.

2) quum in diff. de Hominib. prop. et liber. Germanor. tum in Diff. de Iu Pratic. distinction. homin. in liber. et seru.

3) Tract. de Iur. clientelar. Germanor. in feud. et colon.

4) Diff. de Iure et Statu homin. prop. a seru. Germ. non Roman. derivando. Nec non Diff. de libertat. imperfect. Russicor. in German.

DAV. MEVIVM ⁵), IOAN. NICOL. HERTIVM ⁶),
 CASP. ZIEGLERV M ⁷), INLVST. DN. DAV. GE.
 STRVBIVM ⁸), IO. GVIL. DE GOEBEL ⁹), DN. AV.
 GVSTIN. DE BALTHASAR ¹⁰) et, qui copiose atque
 abundanter argumentum hocce commentatus est,
 IOACH. POTGIESSERVM ¹¹), vt silentio praeterue-
 ham MEINDERSIVM Guestphalicae nobilitatis et ser-
 uitutis adumbratione celebrem. Legum tenorem vel
 nostris temporibus scriptarum adstipulari in plerisque
 ditionibus euidens est, immo nuperrime docuit exem-
 plum sanctionum insigne, nimirum Corporis Iuris FRI-
 DERICIANSI formula designatioque prima. Varia au-
 tem sunt momenta, quibus iura circa seruos aequa ac
 his ipsis competentia absoluuntur, vnde specialia na-
 scuntur dissensionis Latii et Germaniae in hoc argu-
 mento capita. Originem seruitutis, fauorem liberta-
 tis, potestatis dominiae exercitium, trucidandi ser-
 uos licentiam, lucri ex aquaestu seruili modum, ve-
 naliuum siue Sardorum siue Slauorum titulos et sex-
 centa alia si perpendamus, firmandae assertionis no-
 strae opportuna vbique eminent praesidia. Longissi-
 me insuper distat a Romanorum institutis patria, quan-
 tum ad iuris communis, quo serui etiamnum fruun-
 tur,

A 2

- ⁵) Tract. vom Zustand, Abforderung und verwiderter Abfolge der Bauers Leute.
- ⁶) Diff. de Propriis hominibus.
- ⁷) Diff. de Praeeditis censitic. ruralib.
- ⁸) de Iure Villicorum.
- ⁹) Tract. de iure et iudic. rusticor. for. German. vt et Diff. de singularibus, quibusd. praed. rusticor.
- ¹⁰) Diff. de Origin. stat. ac condit. homin. proprietor. in Pomeran.
- ¹¹) Comment. iur. Germ. de statu seruor. veter. perinde atque novo.

4 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

tur, ambitum attinet; ne verba faciam de mixta quādam sorte ex obnoxiorum liberorumque hominū fortuna, cuius iterum haud eadem est in quacunque regione ratio. Notari profecto merentur, quae distractas arguunt vtriusque populi sententias de sanguine, lege, captiuitate atque conuentione seruituris vinculo quum vernas tum ingenuos adstringentibus.

Thema de diversitate horum iurium in addictione in seruitutem spontaneam.

Quum pro lucubratiunculae modo iam non vacet haec omnia seorsim desplicere, attentius tantum id agam praesenti opusculo, ut consideratione sciungam atque contemplatione diffusa Romana Germanicaque iura in addictione in seruitutem spontaneam et facultate pacto mutandi conditionem corporis natura fauente alieno dominio soluti.

§. II.

Principia generalia iuris Rom. de illicitā additione spontanea in seruitutem ob infinitam libertatis aëstimationem. Summa eorum, quae de Romani iuris circa additionem spontaneam in seruitutem sententia generaliter dicenda sunt, ad negatam liberis hominibus de dominio in corpus aliis concedendo pacificandi facultatem redeunt. Facilior huius negotiantis iuris ratio solutiorque redditur ex insigni isto atque immenso, quo libertas Quiritibus veniebat, pretio, et seruili conditionis vilitate durissimo iuncta iugo. Perexperditum est vulgatumque, tristissimam fuisse seruorum Romanorum sortem, aliisque populis non adeo familiarem domesticam in familias tyrannidem. Vitali quasi destitutos spiritu, id est iuris omnis fruitione carentes seruos Roma pro nullis habuit, quod legitimae, vel recentioris, prudentiae documentis et scriptorum testimoniis firmatur locupletissimis. Inde libitorum erga patronos, vitae ciuilis autores, officia, laudes

laudes his tributae adspersique monumentis sermo-
 num flores aeternum designantes cultum, quos vix
 maiori apparatu parentibus sacras sollemnesque a filiis
 adscriptos quam manumittentis manibus ab eorum,
 qui seruituti exempti, gratitudine obuenisse expositum
 est atque promptum ex penu scientiae antiquariae
 GRAEVIANA ET REINESIANA, ut ea, quae ex BE-
 GERI plurimumque aliorum officinis operose forte
 magis quam eleganter apponi possent, breuitatis stu-
 dio mittam. Verum haec, trita et vera quantumuis
 nostroque fini admodum inseruentia, rem tamen
 omnem haud conficiunt, quae Philosophiam potius
 Romanorum moresque populi quum primaeuos post
 conditam urbem tum postea ad Graecorum exempla
 formatos respicit. Romani nuper exstructam non in-
 tegrā Albanos colonos fortitam fuisse ciues, sed ho-
 mines varii ingenii effrenaeque feritatis primos fuisse
 incolas diu obseruatū est monuitque iterum, fre-
 mentibus licet nonnullis, PER IN LVSTRIS DN. DE
 MONTES QVIEU in limati iudicij foetu, claro isto,
 Quod *Esprit des Loix* inscriptum est, volumine. Innu-
 mera tumultuariae ciuitatis ex transfugis exilibusque
 concretae indicia vetus refert iurisprudentia, quum
 inter alia censuram originis huius promereatur absolu-
 luta dominorum patrumque potestas licentiam status
 naturalis spirans. Quum ergo plurimum indulserit
 primis ciuibis stator vrbis ROMVLVS, quod leges
 eius diserte probant, liberrimam hanc et limitibus pa-
 rum circumscriptam conditionem maximi crediderunt
 pretii infinitaeque aestimationis, siquidem nihil ipsis
 exaedificato Licentiae templo praestantius, nihil pe-
 tulantia et impunitate dulcius, nihil ex aduerso one-
 A 2 ribus

6 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

ribus seruilibus videretur molestius. Auxit omnino hanc de libertate nullo taxanda nummorum pondere opinionem SERVII TULLII REGIS de ciuium Romanorum immunitate sanctio, qua cauit, ne quis ob debitum foenus in vincula traheretur, neue foeneratoribus IUS IN LIBERA CORPORA, sed debtorum contenti facultatibus essent, prout argumentum constitutionis restitutum adnexa probatione recensuit CHRISTIAN. GODOFR. HOFFMANNVS: ¹²⁾) quamuis in eo haud adstipuler viro historiae iuris alias peritissimo, quod libertatis extra commercium positae fundamentum unice fere ponat in edicto illo Regio, vel certe hoc ultimam iuris sequioris rationem constituisse coniciat. Etenim si sola ista lex tantam libertatis effecisset existimationem, sequeretur, hanc cessare debuisse, postquam decemuirales leges coniectionem debitoris obaeerati in vincula et sectionem eiusdem liberatorem non inuenientis seu publicam auctionis more factam venditionem permiserant. Non incongruum potius arbitror, praeter ea, quae ab incunabulis urbis repetiti, nonnulla adhuc subiictere illustrandis rei huius firmamentis sufficientia. Primo certe non parum fauebant libertati XII. tabulae, quae sanxerant: DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMUM COMITIATVM NE FERVENTO, siue, extra populi vniuersi in comitiis centuriatis congregati sententiam de capite ciuili Romani ciuis non iudicandum, quod non ipse tantum vocis *capitis* usus maxime libertatem concernere docet, verum, etiam CICERO ¹³⁾) tam de libertate quam de ciuitate accipi.

12) Histor. Iur. Rom. Iustinian. Vol. II. Part. I. p. 67.

13) Libr. V. in Verrem.

accipi iubet. Deinde nota res est atque peruulgata, vna cum legibus mores quoque Graecorum Latium petiisse, inprimis eos, qui ad iuris formabantur similitudinem. Tale autem erat Graecae gentis ingenium, vt primam omnium rerum haberent libertatem et seruitutem adeo adsperrarentur atque abhorrerent, vt spurcissimam mortem mundissimae praferendam esse crederent seruituti. Latius de his PHILIPPVS CAROLI¹⁴⁾, qui, licet iuris effectum plene et acriter non intellexerit vir litterarum studium profitens, tamen quasi suspicione quadam eundem attigit, amplisque enarravit verbis documenta exitiosae eiusmodi fortitudinis, collatione simul vsus Graecorum cum Romulidis, vbi sic ab illis ad hos transit: Ponamus nunc in conspectu sortem seruorum apud Romanos, et sententiae duae veritatem scrutemur. Carebant primum capite, non habebant personam stndi in iudicio, dubitabatur, an homines essent, fungebantur vice iumentorum, baiulantes collo heros suis, quod faciunt alias equi aut muli, religati catenis domum custodiebant more canum. Iam quae et quanta seruitutis iuga in ergastulis, in insulis fastitudinis et ferricrepinis, quae erant in locis subterraneis, sedibus et angustis fenebris distinctae prorsus in morem carcerum, vbi in perpetuis vinculis nunc rura colebant, nunc molas trudebant, nunc lapides caedebant, alias aquas hauriebant; quis hic non exclamat cum Hermolao, morte tristius esse seruire? Rem acu fere tetigit grammaticus, Romanorumque coniunctam cum Graecis merito suis se sententiam pronuntiavit. Penitus forte perspexitimus confessionis huius causam ac oriundam e Graecia

14) *Animaduers. Histor. Philolog. et critic. in Q. CVRTII Histor.*
Lib. VIII. animadu. 3. p. 643.

S DE DIFFERENTIIS IVRIS ROM. ET GERM.

cia libertatis apud Quirites caritatem¹⁵⁾). Sed praecipuum assertionis, quod libertas sit inaestimabilis liberumque corpus commercio exemtum, robur erat assimilata quaedam philosophia et fucosa argumentandi ratio, qua Philosophi Romani, stoae praesertim adscripti, naturalem hominis conditionem pacto abdicari posse negabant, libertatem vero naturalem censebant qualitatem hominibus a nativitate competentem, quum e contrario repugnantem iudicarent naturae seruitutem. Subtilior haec ratiocinationis videri posset formula, quae tamen e limpido jurisprudentiae naturalis verae fonte non est hausta. Hac enim arbitrium ferente ultimam quidem hominum originem ita comparatam scimus, ut liberi et extra omnem societatem constituti fuerint homines. Introducta dein urgente terrigenum necessitate tam coniugalis, quam herilis et ex his conflata familiaris, distincta demum ab iis omnibus ciuilis societas. Vti autem non dubitarunt Romani, conueniens asserere naturae coniugale pactum, quamuis praeter naturam primaeuam initum, nec unquam reipublicae legitime statui normam quis negarit: ita neque ratio subest commoda seruitutem ab omni pactio fundamento excludendi eamque ad solam captiuitatem et vim restringendi. Libertas enim, vti reliqui status omnes, est qualitas iurium differentium usum tribuens, cui, quum quilibet iuri suo renunciare possit, sese abdicare utique licet, quamdiu alii inde non imminet in-

15) Conspirant cum his dicta IOAN. THEOPH. HEINECCI ANTIQUITATIS ROM. IUR. LIB. I. TIT. III. §. 6. et, quem hic laudavit, SIGONII.

commodum in iure perfecto. Non miror, lapsos esse in hoc argumenti genere I. Ctos Romanos, quim notissimi sint et infinitis probationibus liqueant errores eorundem circa naturae humanae indolem rectaeque dictamen rationis, quo spestat mira eorum, quae iuris et facultatis sunt ordinique rerum consentanea, cum necessariis mistura. Respondent autem sibi et quadrant inuicem iuris Latini principia, quae membrorum quoque corporis proprii dominium homini non largiuntur, quoniam et haec naturae dono deberi rati sunt, VLPIANO iudice in *princ. L.13. D. ad Leg. Aquil.* Sed in hoc ipso iterum minus reēte versati nem xum ratiociniorum statuerunt turbidum, quia mutilatio membrorum temeraria, subiectio tormentis friuole facta, vel vitae extinctio, quam mirifice commendabant saepe Stoici, repugnant officiis erga se ipsum, quibus neutiquam officit membrorum laesorum aestimatio et libertatis pro vita sustentanda aut ad minimum felicius agenda pretio intercedente obtingens iactura. Breuibus rem coniiciam; physicum statum paetō immutare aliamque induere naturam haud licet, aliud autem de moralibus a natura proficiscentibus qualitatibus ferendum est iudicium. En itaque fundamentum constitutionum et rationem prisca interpretandi fragmenta satis aptam, quo pertinent *L.3. D. si quadrup. pauper. fec. dic. L.1. §.5. L. 7. D. de His qui effud. vel deiec. L. 2. §.2. de Leg. Rhod. de iact. L. 103. D. de Verb. Obligat. L. 106. L. 176. §. 1. D. de Reg. Iur. PAVLLI, VLPIANI, CAII et MODESTINI mentem itidem Græcis sic expressit CONSTANTINVS HARMENOPVLVS¹⁷⁾: Η ἐλευθερία περιγράψειν αἰσιατικῶν,*

B quem

¹⁷⁾ Promtuar. Iur. Lib. I. Tit. XVIII. §.10.

10 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

quem secuta simili fere scholia rem enuntiarunt formula. Ex his itaque non infinitos tantum deriuandos senseris effectus, verum quoque venditionem proprii corporis in seruitutem illicitam.

§. III.

Explicatio legum Rom. ad dictio in seruitutem sporan. aduersantium.

L. 33. et 37. D. de Liber. caus.

Promanarunt ex fonte hoc leges libertati eosque fauentes, ut conuentione de se ipso seruituti mancipando irritam esse iusserint, atque prouocationi in libertatem contra proprium proclamatim paetum dederint locum; eam quoque quiritandi facultatem iis indulserint, qui dolo se venire passi. Anceps quidem videtur rationum diuersarum circumstantia, quas subducunt PAVLLVS et CALLISTRATVS, ille in L. 33. D. de Liberal. caus. hic in L. 37. D. eod. Negat PAVLLVS ius proclamandi ad libertatem ei, qui a sciente conditionem eius postmodum ignorantie erat venditus, ideoque restrictam iuris adstruxisse credendus esset. Cetus sententiam ad eum casum, quo quis sciens liberum emit, siquidem scienti non largitur contradicendi facultatem, si libertati fraudem fieri queratur venditus. E contrario CALLISTRATVS conuentione priuata seruilem libero homini imponi posse conditionem nullo modo concedit. Saluum ramen existimo utriusque periti arbitrium, quum PAVLLVM de singulari isto casu, si maior XX. annis pretii participandi causa se venumdari passus sit, verba fecisse sit verisimillimum. Certe secundum §. 4. L. de Iur. Personar. L. 5. §. 1. D. de Stat. homin. atque L. 6. §. 5. D. de Iniust. rupt. irrit. fact. testam. seruum fieri eiusmodi contemtorem libertatis notum est, eique negatam libertatis mediante Quiritium imploratione recu-

recuperandae facultatem satis constat. Docet vero PAVLLVS liberalem causam commentatus, ignorantis tantum emtori per fraudulentam imponere nefas fuisse proclamationem, illum autem, qui sciens pretium pro libero homine pendere ausus, proclamationi contradicendi iure gauissimum non fuisse, quod adPLICANDUM quoque ad eum, qui fraudis in vendendo libero homine particeps spe futuri ex venditione capiendi lucri ipse pecuniam forte exsoluterat. Optime haec quadrant ad I.Cti mentem in conscribendis momentis ad illustrationem dispositionis legalis de origine seruitutis ex iure ciuili, quam meditatum fuisse I. Ctim ex inscriptione libri de liberali causa, vnde fragmentum de promtum est, colligo. Munitur haecce coniectura distincto VLPIANI sermone in L. 7. pr. D. de Liberal. caus. et in L. 1. pr. D. Quib. ad libert. proclam. non lic. non minus ac GORDIANI IMPERAT. integra rescriptione obvia in L. 1. C. Quib. ad libert. proclam. non lic. quae leges distinctam tradunt rationem generalem permisae assertoris aequa vti proclamationis eorum, qui etiam maiores venire se passi sunt, et priuationis huius facultatis in eos statutae, qui lucri participandi gratia seruili incidentes forma venditionem sui contrahi curarunt. Eius enim, qui dissimulata conditione distrahi se passus et qui pretium participatus, disparem censet causam GORDIANVS. Intelligimus quoque ex eodem, quem laudauimus, VLPIANO in L. 14. et 16. D. de Liberal. causa, contra eum, qui praeter lucri partem acceptam sciens libertatis propriae venire se passus erat, actionem in factum ob dolosam emtoris deceptionem indultam fuisse, quae omnino excludit occinendam proclamanti contradictionem. Non obstat itaque PAVLLI

12 DE DIFFERENTIIS IVRIS ROM. ET GERM.

hoc assertum CALLISTRAT^O ad regulam primariam
et vniuersalem respicienti.

§. IV.

In primis
L. 10. C. de
Liberal. caus.

Maximum vero robur sententiae de libertatis
iactura conuentionibus priuatis nullatenus facta insi-
tum est Legi 10. C. de Liberali causa, quae ita sonat:
*Liberos priuatis pacis vel actu quoconque administrato-
res non posse mutata conditione seruos fieri, certi iuris est.*
Deest constitutio haec in Codice Theodosiano, cui ideo
inseri nequivuit, quia DIOCLETIANI et MAXIMIA-
NI sacram constituit auctoritatem ad Stratonicum re-
scripti in modum olim emanantem, quam a Principe
gentilium errorum cultore profectam pro fine ac more
neglexit THEODOSIVS de Augustorum tantum Chri-
stianis ritibus addicitorum sanctionibus colligendis sol-
licitus. Dantur tamen alia in Codice hoc eiusdem,
quam Lex allegata tractat, causae argumenta. Pertinet
huc L. 2. C. Th. de Liberal. causa CONSTANTINI
M. IMPERAT. ad Maximum Praef. Vrbi conuolans
rescriptum, cuius oraculi CAESAREI caput primum
collatum in L. vlt. C. de Patr. potest. Ultimum autem
in L. fin. C. Quib. ad libertat. proclamar. potiorem vero
eius partem a Codice Justiniane plane abesse obserua-
vit IACOBVS GOTHOFREDVS¹⁸⁾. Plurimum tamen
in sensu dictæ L. 10. indagando verbisque illius resti-
tuendis prodest principium et omnis pars prior Legis
Constantinanae ita se habens: *Libertati a maioribus
tantum impensum est, ut patribus, quibus ius vitae in
liberos necisque potestas permissa est, eripere libertatem*
non

18) Not. ad L. cit. C. Theod. T. I. Commentar. ad Cod. Theod.
p. 405. edition. IN LVST. DNI RITTERI.

non liceret. Si quisquam minor venundatus actum maior administravit, quoniam minoris emitio scientiam non obligat, eum ad libertatem venientem emtioneis actusque a maiore administrati praescriptio non tenebit. Nec vero ille, qui apud quicquam pro seruo educatus ac maior effectus, vendenti veluti domino acquieuit, actu que administrato iam pene extremam relegit libertatem (quoniam neque maior effectus originem suam nouerat, neque eam quam ignorabat, venditionem patiens de seruisse iudicandus est,) minori similis, eadem emtioneis atque actus administrati praescriptio non alligabitur, sed utriusque dabitur assertio. Paria etiam in libertinis erunt, qui quaestu quodam in eandem seruitutem rursus relabuntur. Sed eorum hac exceptione causa distingueda est, ut qui impuberes intra annum quartumdecimum manumisssi, ac deinceps in seruitio detenti, ignorata libertate non vtantur, maioresque venundati actum gerant, ab assertione non arceantur: quum illi aetati tributae libertatis ignoratio ut obliuio concessa est. Qui vero memoria firma venditioni post facta non innectitur, huius legis beneficio carebit. Explanando sacri affatus principio disquirendisque eius fundamentis, quae GOTFREDVS iam scrutatus est, immorari a fine nostro alienum puto; quamuis haud incongrua sit horum verborum applicatio ad ea, quae de infinito libertatis pretio prohibitae addictionis in seruitutem spontaneae rationem comprehendente supra §pho II. differui. Respiciendum potius ad sententiam iussionis Caesareae intuitu eorum, qui post actus, seruulis puta, administrationem ad libertatem prouocant. Disiungit IMPERATOR ingenuorum et libertorum hac in causa forttem, siquidem priores minoris adhuc aetatis venditos

et post legitimae aetatis annos seruitia praestantes nunquam ab adsertionis beneficio proclamandi potestate arcendos decernit, quum contra libertino ante annum decimum quartum manumisso, deinceps vero seruilibus operis denuo implicato tantum eatenus indulgeat adsertionem et proclamationem, quatenus ignorata libertate non vius, conditionis autem suae gnarum *memoria firma*, id est maioris aetatis hominem, qui fortis suae et originis nescius haud esse debet, illis, quae iura liberis statuerunt, eminentibus prouocationum, imploratae Quiritium fidei et liberali causa facienda assertionis praerogatiis indignum pronuntiat. Addidit hoc loco quaedam suo ex ingenio *Interpres Codicis Theodosiani*, et, contraacta antea in breue dispositione varia legislatoris de liberis et libertis administratione aetuum seruilium libertate non excidentibus, pergit: *Sic etiam si quis minor ingenuus a quolibet fuerit educatus et liberum se esse nesciens fuerit a nutritore distractus, et aetum vel utilitatem illius a quo emtrus est, ut seruus gesserit, priusquam XXX. amorum praciudicio teneatur, potestatem habeat reclamandi et quasi minor is, priusquam tempora suppleantur, amissam recipiat libertatem.* Parum conspirat *Interpres* cum legislatore ipso, qui iam pene extremam relegere permittit libertatem, nullique locum assignat virtutemue praescriptioni, immo ille a se ipso mirifice dissentit, quem plana praemissa verborum legalium adumbratio ne nunc iterum falsa immiscet. Sed in promtu est erroris ratio. *Quamuis ANIANVS non considerit interpretationes textui subiectas, Visigothum tamen laudant auctorem, cuius ciuibus vt et aliis Romano sanguine non profatis vice Codicis Theodosiani ipsius diu*

diu cultum fuit compendium hoc auctoritate ALA-
RICI REGIS in vnum corpus cum ipsis legibus reda-
ctum. Gens haec origine Germanica cooptatis licet
fauore regionum debellatarum peregrinis Romano-
rum legibus tenax tamen fuit, aequo vti aliae patrium
solum eum prouinciis Romanis commutantes nationes,
morum antiquorum, certe eos non prorsus pro de-
relictis habuit, verum memoriam illorum mixtura
quadam coluit. Hinc factum est, vt haud raro de-
prehendantur in arce ista seruandi iuris Romani ergo
exstructa quaedam Germanici iuris rudera: quo etiam
referri merentur Interpretis sui plane immemoris di-
cta de praescriptione seruitutis personarum. Cognita
haec dudum Germanis, quamuis non eodem vbiique
tempore circumscripta, vti nec hodie tacita in seruitu-
tem addictio aequali perinde in diuersis regionibus
cenfetur iure. Communis autem omnibus Germanis
in rerum immobilium iuriumque plurimorum praesi-
criptione terminus triginta annorum arrisit Interpreti,
ne breuis quadam temporis praescriptione libertas ni-
mum periclitaretur. Aduersantur eiusmodi princi-
pia genuinae iuris Romani normae, quae vti neque
conuentione expressa ita nee tacito pacto aliam indui-
sinit conditionem homini ingenuo, quum certe incon-
gruum effet fingere valorem renunciationis tacitae in
rebus, quae nullatenus obiectum esse iudicabantur
contra dictum vel dispositionis eius, qui iis fruebatur.
Diserta sunt verba VALERIANI et GALLIENI AVGG.
in L. 6. C. de Liberal. causa: *Nec si volens scripsisset, te
seruum esse, non liberum, praeiudicium iuri tuo aliquod
comparasset.* Eo minus ergo tacita et inprimis,
qualem CONSTANTINYS et cum eo Interpres Go-
thicus

thicus in *cit. L. 2. C. Th.* designauerat, incerta voluntas legitimum suppeditat seruile iugum impo-
nendi fundamentum, quo magis firma et illimitata est
DIOCLETIANI et **MAXIMIANI** auctoritas quam in
Lege 10. quam exponimus, tum in *L. 39. C. de Liberal.
caus.* vbi liberos velut seruos se profientes, inquiunt,
statum eorum mutare non posse constat. Senserunt jam
alii, ¹⁹⁾ Interpretem de suo nonnunquam instituto et
collatione ad leges collectionis Theodosiane quaedam
adspersisse, textuque haud comprehensa proposuisse,
cuius generis emblemata hoc esse me iudice satis patet.
Quo luculentius autem animaduersionis nostrae de
admixtis Germanicarum legum traditis veritas probe-
tur, ad *L. 3. C. Th. de Liber. caus.* me refero, vbi in
fine interpretationis sequentia occurruunt: *simili modo*
*si liberta seruum duxerit maritum, agnatio seruum se-
quatur: quia ad inferiorem personam vadit origo.*
Notauit **IAC. GOTHOREDVS**, haec abesse a veteri-
bus libris, viderique nonnullis ex interpretatione alte-
rius esse legis, quae desideratur, vii etiam in Codice
Wurceburgensi et editione **SICHARDI** haud extant
obseruante **CEL. DNO RITTERO**. Sane, siue inter-
pres ipse, siue recentior quidam illi haud absimilis
rem aestimauit ex iuris Germanici praeceptis, quae
liberos parentem deterioris conditionis sequi iubent
iuxta regulam, *die Geburt folgt der aergern Hand.*
Longe alia erat mens Romanis, qui partum ex ventre
iudicabant, ita vt si vel maxime pater seruus esset, ma-
ter autem vel conceptionis vel partus vel grauiditatis
tempore libertate frueretur, liberum quoque enitere-
tur

19) *Prolegomen. Cod. Theodos. Cap. VI. p. CCXXV. edit. IN LVST.
J. B. RITTERI.*

tur foetum. Reuertamur nunc ad legis explicandae capita. Si iungatur Legi 10. C. de Liberal. caus. Lex 2. C. Th. eod. peripctum habemus, non pependisse ex arbitrio hominis liberi, praesertim ingenui, statum deserere a natura collatum, praesertim ingenuitati renuntiare neque expressa neque tacita licuisse voluntate, nec ergo praeescriptionem valuisse aduersus libertatem et in eandem adsertionem. Rationem Legis 10. (indeque me iudice et L. 2. C. Th.) in Lege 6. C. eod. deprehendi vidit iam CYPRIANVS REGNERI AB OOSTERGA²⁰), sed haec proxima tantum est, non autem ultimum verumque constituit fundamentum, quippe quod Legi 6. et 10. aliisque pluribus tanquam consequentibus vel principiatis est commune. Porro fulcitur iusta Legis 10. correctio per ea, quae habentur in L. 2. C. Th. Fallacem enim esse lectionem, vel actu quoconque administratores, ordo verborum perspicue admodum indigitat, plures ostenderunt iuris ciuilis periti, quo praeter ANDR. ALCIATVM et ANT. AVGUSTINV M merito refertur IAC. CVIACIVS.²¹ Licet autem non inepta sit emendatio sequentem in modum tentata: vel actus cuiuscunque administratiratione, et vtique exhaustiat mentem legislatoris, tamen non adeo naturalis est ac ea, quam ex Lege 2. C. Th. ita formamus: vel actu quoconque administrato. Graecis quidem in Basiliis lectionis suiae tutelam denuntiat CVIACIVS: sed hi Libro XLVIII. Tit. XX. Leg. 10. mentem quidem et interpretationem CVIACII corroborant, verbis vero vtuntur dissimilibus: οὐδεὶς δούλος χείριστη πρα-

C

γνωτες

²⁰) Censur. Belgic. ad Codic. cit. leg.

²¹) Obseruat. Lib. V. cap. 40. p. m. 225.

²²) Tom. VI. CAR. ANNIB. FABROTTI p. 541.

γυντα αιτου. Sed qui tandem sensus *Legis 10.* Si iuxta *Legem 2. C. Th.* simpliciter esset explicanda, hic foret, neminem conuentione sua qualicunque seruili conditioni semet subiiciendi ius habere, nec nocere libero homini expeditas ab ignaro status sui operas seruiles: ut ergo dubium videretur, num sciens volensque serviles actus administrans se dominio alieno mancipandi facultate sit instructus. Minime ita rati sunt socii Imperii legistatores. Generalis est rescripti tenor, vt ne scientes aequi vti consciros natalium ingenuorum libertate per adsercionem et proclamationem adquirenda dignos censeat. Non minus vniuersali loquendi formula ysus est **GORDIANVS AVG. in L.2. C. de Ingen. manu missis.** *Ingenuam natam*, ait, *neque nutrimentorum sumtus neque seruitutis obsequium faciunt ancillam.* Quin parum quadraret venditionis aliasue conuentions expressae auctoritas in se ipso obnoxio reddendo infirmata cum gestione negotiorum seruili spontanea, tanquam tacito pacto, istam efficiente conditionem. Nihil moneo de yltima prohibitae addictionis voluntariae ratione, quae ipsa testantibus quoque legibus istis, quas in exponendo textu praesenti consului, eius est ambitus, vt casus quoscumque tacite et expressae conuentions complectatur.

§. V.

Dispositio iuris Graeco-Romani additionem spontaneam prohibens. *Expedit etiam, vt perpensis iuris Romani antiqui et noui definitionibus succedat iuris nouissimi Romano-Graeci dispositio.* Integra ista constitutio *Legis 10. C. de Liberal. causa* relata est in *ἔξανοντα βιβλίον loc. allegato* sequenti formula: 'Εαν ἐλευθέρος ή συμφωνησης προς τινα δουλος ειναι, η οις δουλος χειρον πειρυματα αιτου, οι γυνetai δουλος, id est: si liber vel cum aliquo pactus sit se seruan eis, vel

vel tarquam seruus res eius administraverit, servus non fit. Merito iungitur huic textui L. 6. Tit. eodem: το εἶναι τινες ἀλευθέροι οὐτα διτί δουλος ἐσιν, οὐν αἰδεῖται τοις τυχην, quae hac ratione Latinis efferuntur: *quod quis dixerit se seruum esse cum liber esset, hoc statum eius non laedit.* Quae ex Pandectis in Graecae Iurisprudentiae volumina translata, *Leges* 33. et 37. *D. de Liber. causa* supra recitatas, hic autem L. 33. et 37. *Lib. XLVIII. Tit. VIII.* constituunt, apteque satis et iuxta verborum seriem Graecis sunt redditia. Pleraque etiam in scholiis annotata ad eandem cum *Basilicis* ipsis redeunt sententiam, nisi quod saepius iniiciant mentionem Scholiaestes exceptionis a regula, nimurum seruulis iugi iis incumbentis, qui pretii participandi causa venire se passi, quam tam nullibi statuit textus *Basilicorum*. Rationem omis-
sae in volumine legali circumstantiae huius hanc arbitror. Abrogauerat *LEO*, Philosophus cognomento, *AVGVSTVS* iuris per plura saecula firmiter obseruatam normam de his, qui abiecto animo eosque spreuerant libertatis praecipuum, ut lucri ex pretii parte capiendi causa venditionem sui fieri curauerint, adsertione et proclamatione indignis, et surrogauerat in locum tristissimae seruitutis poenam arbitrariam, ceu late docet *NOVELLA* eius *LIX*. Eiusdem autem *IMPERATORIS* auspiciis perfecisse *I. CTOS* Graecos magnam partem, immo successore eius *CONSTANTINO*, qui Porphyrogeneta nuncupatus, demum pertexisse coeptum *BASILII* Macedonis aetate *Basilicorum* opus, constat et imprimis *FABROTTVS* monuit. Igitur procul dubio respexere compilatores ad iuris recenter stabiliti auctoritatem neque huic contrariantia collectioni infere opportunum duxerunt capita. Patet id vel ex eo,

C 2

quod

quod *Lege 2. Tit. IX. Lib. XLVIII. Quib. ad libert. proclaim. non lic.* mentio haud fiat exceptionis istius antiquae a iure proclamandi, quamvis petita sit constitutio ex *L. i. C. Eod.* quae pariter ac *L. i. D. Eod.* circa determinandam hanc fraudulentorum hominum libertateque abutentium coercitionem versatur. E contrario scholiorum autores non tam sollicite dispexerunt non usum eius rei ipsorum aeuo, sed inculcarunt adhuc principia a **LEONE** sublata, praesertim **THEODORVS** ex citatis Legibus neglecta a Compilatoribus suppleuit in *Schol. ad L. 2. Tit. alleg.* Verum ulteriorem horum momentorum disquisitionem vna cum perpendendis dictis eiusdem I. Cti de exceptione intuitu eius, qui se ad acta seruum declaravit, obtinente ad posteriorem, quae dilucidandi huius argumenti causa exaranda, ablego exercitationem.

§. VI.

Peregrinationis finem nunc facientes patrios visamus **Lares**. Antiquam quidem mediaque aetate propriam Germanicae seruituti faciem delineans **IOACH. POTGIESSERVUS**³⁾ otium fecit nobis suppeditandarum circumstantiarum ex antiquitate gestorumque ad umbrationibus ac documentis repetitarum, quibus expressam atque tacitam additionem in seruitutem maxime usu venisse apud Germanos probatum dedit. Animus haud est, huius aliorumue auto^rum explicatione pretendere scriptiunculae fines, sed spicilegii instar tantum paucissima colligendi notata. Quemadmodum facilius plerumque fuit Germanorum ingenium in indagandis veris iurisprudentiae naturalis fundamentis, ceu

antiquissimo
aeuo.

³⁾ in prolegom. et Lib. I. Cap. III. Tract. de serv. German.

ceu liquet ex CAESARIS TACITIQUE de iure, quo
Germani vtebantur, elogiis: ita in primis meliora se-
cutoe eos fuisse docemur principia circa seruorum tam
originem quam conditionem. Illam quod attinet, pa-
titiam haud raro fuisse partim CAESARIS dicta euin-
cunt de Gallis quidem verba facientis, sed ob morum,
nisi quatenus Gallicae consuetudines confusione cum
Romanis adulteratae, similitudinem de Germanicis
Celtici quoque sanguinis populis eo magis intelligen-
da, quo frequentior eiusdem cum Germanis consue-
tudo atque perspecta belli pacisque negotiis variis eo-
rum ingenia, quae quantum faepe a Gallicis disre-
pantia fuerint, indigitat sollers iste scriptor. Neque
Gallos neque Germanos libertatem pro re minoris
pretii habuissent adstruit CAESAR, qui potius insignes
in ea propagnanda conatus ipsem erat expertus, vbi
iugum ciuile Romanum detestabantur, multo minus
domesticorum seruitiorum praestationem in deliciis
habebant. Necessest autem et commoda miserrimae
in libertate agendae vitae conseruatione suadente do-
minicae submississe Gallos corpora propria potestati his
fidem facit: *Plerique quum aut aere alieno aut magni-
tudine tributorum, aut iniuria potentiorum premuntur,
se in seruitutem dicant Nobilibus. In hos eadem omnia
sunt iura, quae domino in seruos.* Vides, beneficium
aliquando creditum fuisse seruile onus, quo, leniori
omnino mancipiorum Romanorum grauaminibus, exi-
mebantur obnoxiae personae incommodis paupertatis
et periculo a tyrannide imminentis, quum scilicet ea,
quae ad vitam alendam requirebantur, non adeo parce
subministrarent domini, vt adquaestus, cuius iure vti
et commerciis fruebantur, occasione destitueren-

22 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

tur. Vulgata nimis, quibus diu inhaeream, TACITI ista de ipsis Germanis: *Aleam (quod mirere) sobrium inter seria exercent, tanta lucrandi perdendive temeritate, ut quum omnia defecerunt, extremo ac nouissimo iactu de libertate ac corpore contendant, victus voluntariam servitutem adit, quamvis iunior, quamvis robustior, alligari se atque venire se patitur, seruos conditionis huius per commercia tradunt, ut se quoque pudore victoriae exsoluant.* Illustrant haec TACITI PHIL. CLVVERVS²⁴⁾ ANDR. ALTHAMERV²⁵⁾ et IODOC. WILLICHIVS.²⁶⁾ Pactorum ergo adimplendorum fideique seruandae studio amplexi sunt deteriorem Germani conditionem; qua de re, aliis quoque obtingentibus circumstantiis parem subiisse volentes fortunam, vix est ut ambigamus. Faciliori certe assequimur opera rationes, quibus moti Germani vel pretio intercedente vel praeter nummorum pensionem indulserunt dominii alieni agnitioni, si libertatem ipsam, quantaqua erat eius apud Germanos existimatio, ramen extra commercium non constitutam fuisse ex eo iudicemus, quod contra Romanorum morem liberi corporis membrorumque eiusdem aestimationem pleraque legibus singularibus definiérint nationes Germanicae. Memores legum consuetudinumque antiquarum gentes Germanicae relicto solo patrio exteris petentes oras vel saltim in vastissima patria sedes auitas mutantes. BAIIVVARI addictionem in seruitutem spontaneam ob egestatem ratam esse diserte statuerunt aequem

24) *German. antiq. Lib. I. Cap. XV. p. 104.*25) *Schol. ad CORN. TACIT. de Morib. German. ap. SIMON. SCHARDIVM Scriptor. Rer. Germ. Tom. I p. 10; s^rl.*26) *Commentar. ad Taciti German. Cap. XXXII.*

aeque uti probata iis fuit additio per sententiam ob
damnum datum decernenda, ceu cautum *Cap. II. Leg.*
Baiuvar. Tit. 1. confer etiam *Cap. VI. Tit. 5.* WISIGO-
THI Legis suae *Lib. V. Tit. IV. §. 10.* seruilem eius
qualitatem, qui se per alium venumdari passus, re-
nuntiarunt: licet haec dispositio a Romanis videatur
arcessita, qui XX. annis maiorem pretii participandi
causa se venire passum eadem ratione in seruitute reti-
neri iusserant. FRANCIS visitatam sui ipsius in domi-
nium alienum translationem, dubio vtique caret,
quum MARCVLFVS Monachus *Formular. Lib. II.*
Cap. 28., *Formulae Veteres incerti Auctoris Cap. XVI.*
et *LVIII.* nec non *Formulae Veteres secundum legem*
Romanam Cap. X. suppeditent obnoxiationes et vendi-
tiones de se ipso, quibus tanquam sollemini documento-
rum abdicatae ingenuitatis formula vterentur ingenui
nunc propter damnum criminis illatum resarcendum,
nunc sponte pro nummorum quantitate dominium
alienum sibi imponi sinentes. *Synodus apud Verme-*
riam PIPINO sceptris regni potito congregata iustam
declarauit subiectionem domesticam inopia suadente
promissam: cui non absimilis est cautio *Libri III. Capi-*
tularium Regum Francorum Cap. 29. de libero, qui
se loco guadii, id est tanquam fideiussorem, in alterius
potestate commiserit. *Synodus* itidem *Pistensis* anno
DCCCLXIII. celebrata irritam haud censet eorum
conuentiōnem, qui tempore famis, necessitate cogente,
seipso ad seruitium vendiderunt. Antiquius famis ho-
mines ingenuos seruili conditioni adscribentis GRE-
GORIVS TVRONENSIS²⁷⁾ profert exemplum. Haec
ipsa, quasi dedititia, mancipia peculiari quadam
signi-

27) *de Ges̄t. Francor. Lib. VII. Cap. 45.*

Significatione obnoxiorum sortita sunt adpellationem.
²⁸⁾ ANGLORVM, Saxonum seu Frisionum progenie, parum difformia fuere iura ab his, quae inter Francos vigebant. HENRICI I. REGIS Leges ad ipsius tempora transmissam spontaneae addictionis consuetudinem omnino demonstrant, quum differentem seruitutis originem percensens huius quoque mentionem iniiciat legislator modi. Nec mirum, recentiori in Anglia reperiri adhuc huins rei vestigia, quum Frisi et Saxones, eo etiam aevo, quo diuersos et segregatos inuicem nouimus populos, in eadem haeserint de permissa fui venditione vel assignatione in alienam potestatem sententia. Ita nempe FRISIONES Legum Tit. XI. de Lito, id est seruo colonario seu adscriptio §. 1: *Si liber homo spontanea voluntate, vel forte necessitate coactus, nobili seu libero, seu etiam lito in personam et seruitium liti se subdiderit, et postea se hoc fecisse negare voluerit, dicat ille, qui cum pro lito habere visus est: Aut ego te cum coniuratoribus meis sex, vel septem, vel decem, vel duodecim, vel etiam viginti, sacramento meo mihi litum faciam, vel tu cum tuis coniuratoribus de mea potestate te debes excusare. Si ille tunc iurare ve*i*, iure*t*, et seruitute liberetur. Si autem iurare noluerit ille, qui cum possidere videbatur, iure*t*, sicut condixit, et habeat illum sicut caeteros litos suos.*

Fluit ex tenore legis, eosque valuisse pactum de subeundis oneribus seruilibus, vt inde forensis concessa fuerit actio et quaestio sacramento dirimenda, indeque iurejurando firmata vel non elisa adquirentis assertione is, qui se dederat, ad standum pacto fuerit obstrictus. Apprime id conuenire indoli Germanicae anti-

28) CAROL. DU FRESNE *Glossar. med. et insim. latinitat. voc. Obnoxiation.*

antiquae; quam ex TACITO didicimus, commentator legis Frisiae SIBRANDVS SICCAMA opportune admodum obseruauit. Eadem ratione comparatum erat cum litis seu litonibus in Saxonia, qui magnam partem commodi causa hoc seruitutis elegerant genus. Singularem prorsus refert ALBERTVS ABBAS STADENSIS ad ann. 917. originem litorum inter Saxones ex debellatis terrarum incolis, qui se proprios et quoad corpus dominio subiectos stiterant, naeti ideo viuendi fruendique bonis licentiam. LONGOBARDIS ignota haud fuit additio eiusmodi voluntaria, quamvis illorum intuitu dubii paululum eius videantur effectus. Legibus enim *Longobardorum Lib. II. Tit. XII. §. 2.* tacitam ROTHARIS REX admittit traditionem sui in faemina libera seruo nubente. PIPINV S quoque *Lib. III. Tit. IX. §. 1.* iuxta vetustissimos Longobardorum mores validam esse vult commodandi se aliis facultatem, Comiti tamen rem nuntiari postulat. Sequentibus vero eiusdem *Tituli Sphis* cauet, ne aduersetur sui suorum que in alienum dominium translatio utilitati publicae eademue fraudulenter suscipiatur. LVDOVICVM IMPERATOREM vehementer horruisse morem semet ipsum aliis mancipandi, intelligimus ex *Spho 2. Tit. XXXIII. Libri II.* qua placere ipsi monet, *ut cartulae obligationis de singulis hominibus factae, qui se aut uxores eorum, aut filios vel filias in seruitio tradiderint, vbi iniunctae fuerint, frangantur, et sint liberi sicuti primitus fuerint.* Clarum esse existimo, constitucionem hanc iuribus, quae Longobardis nunquam non culta fuerant, contrarium domesticos haud spirare mores, sed mutatis aliquantulum verbis a Romanis eam mutuatum esse IMPERATOREM, eo in primis confi-

D

lio,

26 DE DIFFERENTIIS IVRIS ROM. ET GERM.

lio, ne priuatorum augerentur opes et potentia, quum non prohibuerit traditionem sui in dominium ecclesiarum et monasteriorum, neque *fiscalinos homines* REGVM potestati dominicae ita obuenientes in libertatem pristinam iterum asseri statuerit. Quin LOTHARIVS IMP. propriam eius, qui se alteri obtulit, personam seruili nexus solutam non est ratus, ita tamen, vt vxor et liberi antea iam suscepit libertatis praerogatiui non intercidant. Secus autem vxoris, quam post mortem prioris in seruitute duxerit, aestimandam esse dixit formam, quum seruilem quoque conditionem illa debeat subire: quae restri^ctio eo minus derogat iuris Germanici regulis, quo magis parem inculcat legislator *se*quente *Spho* 4. in his obseruandam, qui ob crimen perpetratum in seruitutem derruduntur necessariam.

§. VII.

In causa fuit promoti impetus, tradendi se aliis in servitutem, Christianorum sacrorum in Germania propagatio, Comes religionis isto tempore supersticio, qua imbuti hominum animi spe munerum aeterni et immensi pretii a DEO quasi merentibus tribuendorum seruilem sub ecclesiarum atque coenobiorum dominio appetebant qualitatem. Compluscula quidem de huiusmodi addictione POT GIESSERV, sed paucissimis tantum contenti heic simus adnotamentis. Ritus, quibus ingenuæ personae transitum in alienam designabant potestatem, differebant, quum alii impositis capitib^s ipsorum quatuor denariis, alii capite campanae fune innexo, secundum monumentorum a CAR. DU FRESNE²⁹) recitatum tenorem, alii iuxta IOAN. MABILLONI²⁸

Promota ad-
di^cti^o in ser-
vitutem
spontanea
per Oblatos
ecclesiis et
monasteriis.

29) *Glossar. med. et inf. latinit. voce Oblati.*

LONII³⁰⁾) obseruationem documentorum fide nixam capite et manibus altari impositis seruitutem declararent. *Oblati* audiebant vel *offerti*, qui serui propria efficiebantur ecclesiis et monasteriis facta subiectione. Accessere praeter pietatem aliae rationes, quibus instigantibus permulti adscriperunt sese religiosarum domuum atque templorum seruis. Proderat iis nonnunquam bonorum ecclesiasticorum, quae singulari NVMINIS et Sanctorum dominio subesse credebantur, immunitas ab oneribus tributisque fisco PRINCIPVM pendendis. Hinc est, quod iam suo aevo indignatus fuerit PIPINVS fraudulentis hominibus, qui, quo subterfugeren promouendam reipublicae utilitatem, servitutem sacro dominio submissam libertati anteponebant. Inserta PIPINI sanctio *Legibus Longobardorum Lib. III. Tit. IX. §.3.* Demum eadem securitatis et libertatis a laefionibus quam in publico tum in priuato bello inferendis opinio, quae feudis plurimis ecelesiae offendis dedit occasionem, suaſit eriam saepiuscule servitutem iis feruiendam. Hinc circumfusa altaria ingenuis, non ex plebe ſolum natis, verum nobilibus et primas in republica tenentibus, quod exempla FRESNEI studio congregata abunde teſtantur, magisque adhuc corrobatur chartarum, quibus traditiones coenobiorum commodo factae continentur, multitudine, quas inter potiore loco laudandae ſunt tabulae nonnullae in *Codice piarum donationum Belgicarum AVBERTI MIRAEI*. Ratas eſſe conuentiones de ſe ipſo in fauorem ecclesiarum sacrarumque domuum initas *Speculator Alemannicus* existimat Cap. LX. *Iuris Prouincialis*, D 2 quod

30) *De Re Diplomatica Lib. VI. p. 632 ſq.*

quod integrum in quaestione, an homo liber se mancipare possit aedi vel religiosae domui, affirmanda laborat.

§. VIII.

Additionis
Spontaneae
frequentia in
libertinis.

Singular. ca-
fus de addi-
tione spon-
tan. nobilis
ex SCHIL-
TERO.

Manumissiones ea praesertim aetate, qua vrbes in Germania condi cooperunt, frequenter factae ansam praebuere libertis, qui sibi alendis in vrribus et oppidis impares erant, ad pristinos reuertendi lares dominosque implorandi, vt praedia rustica ante missionem culta nunc vel iterum sub lege seruitutis vel certe simili quadam et obnoxiae conditioni affini ratione concederent, quod imperfectae simul libertatis rusticorum in pluribus locis fundamentum exposuit B. D. N. BOEHMERVS³¹). Conuenit hoc libertorum mutato consilio impari libertate ad prius reuersorum praedium domiciliumque genus cum indeole libertorum TACITI aetate non multum supra seruos constitutorum, siquidem, in nonnullis certe regionibus, plurima et grauissima iis iniunguntur vel aliqua ratione in eorum ceduices declinantur proprietorum hominum onera. Singulare tandem specimen paetitiae serui originis SCHILTERVS³²) adiectis LVDOVICI IV. IMPERAT. litteris rem enarrantibus tradit, vbi de nobilitatis praerogativa inter duos aulae CAESAREAE disceptatum Proceres, qui documentis gentilitiam nobilitatem afferentibus antea editis demum dimicazione armorum contentio nem finiere ealege, vt victus cederet viatori seruulis conditionis nomine, quo etiam certamine alterum pugnatum scilicet SIGFRIDVM quandam, IMPATORI a consiliis, succubuisse et captum a viatore ad IMPERATRICE.

31) *Diff. de imperf. libert. rustic. German.*

32) *Exercitat. ad Pandect. III. §. 1. p. m. 32.*

RATRICIS basilicam deductum, postea vero sponte dimissum AVGVSTVS referit.

§. IX.

Sunt quidem nonnulli in mediae aetatis consuetudinum codicibus obuii scopuli, ad quos adpellî animaduertimus I. Ctos spontaneam Germanorum addictionem aliquot abhinc saeculis fieri solitam negantes. ECKONEM A REP KOW Speculi Saxonici compilatorem *Iur. Sax. Provinc. Lib. III. Artic. XXXII. §. 4.* contrariam iuri pronuntiasse autumant conuentionem de se ipso mancipando, dum his vtitur verbis: *Wer sich fur gerichte yemand zu eigen gibt, sein Erbe mag es wol widdersprechen und yetzlicher sein freund, und ihm widder bringen an seine freiheit. Bekelt yhn aber der herr, dem ehr sich gab bis an seinen todt, er nimpt sein erbe nach seinem todt, und erbet es an seine kinder (ob sie nach ykm gehörcken) die ehr gewan nachdem das er sich ykm ergabe.* Regesfit ad hanc obiectionem THOMASIVS³³⁾, fauere potius quam aduersari Saxonem morum patiorum interpretem sententiae de licita addictione spontanea. Priora enim verba non de contradictione vel proclamatione ad libertatem ipsius serui paetitii intelligenda, sed saluum esse volunt ius heredis proximi ut et reliquorum agnatorum opponendi se conuentioni isti, non tam assertione Romanis quondam sollemini ob turbata ingenuitatis iura ipsamque personam reuocandam, quam vindicatione potius bonorum per traditionem sui simul in dominum translatorum, quorum tamen alienatio interuertens successio-

Remotio du-
biorum ex Iu-
re Prouincia-
li Saxonico et
Iure Weich-
bildico.

D 3 nem

33) *Diff. de Vf. præst. distinct. hom. in liber. et serv. Cap. II. §. 50. in not.*

30 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

nem intestatam necessariorum intuitu bonorum a maioribus hereditatis iure acceptorum prorsus iniusta, quantum autem ad propriae industriae fructus attinebat, inter viuos tantum sano adhuc corpore ritibus certis probato permissa erat. Hinc est, quod non cui libet ex populo, prout Romana cauent iura, sed agnatis solis, quorum iuri certo offecisset additio in seruitutem, inualiditatis arguendi pactum facta est copia. Tacente autem gente serui, qui se adscripterat, resiliendi facultas ipsi secundum REPKOVII sententiam non dabatur, sed oportebat ipsum seruilem omnem agere vitam, bonisque post mortem in dominum pro parte transmissis eandem fateri conditionem. Alia iuris Saxonici capita, nimirum §phus 9. Articuli XLII. Lib. III. Iuris Prov. et §phus 4. Art. II. Iuris Weichbildici partim ex clarioribus verbis iam explicatis interpretanda sunt, partim absonis nituntur principiis de seruitute diuinis contraria paeceptis, in quae abutendi scripturis caelstibus deliria raptum iudico Speculatorum studio pugnandi sententiam iuris Romani, quod naturae adversa sit seruitus. Alemannici Iuris Prouincialis scriptor maioris adhuc postulandus praceptorum iuris patrii ignorantiae eorumque cum Romanis legibus confusionis ut et inconstantiae in assertis temerariis. Ibi nempe Artic. LXII. §. 2: *Wir haben in der Geschrift, ait, das niemand eygen sol syn. Doch ist es also dar kommen von Gewalt und getzmanckniß, das nun recht ist, das eygen leut synt. Doch mag sich kein fryes mensch zu eygen geben und versprechen, es synt erben, es sol zu recht nit syn.* Postrema loquendi ratio iterum uti in iure Saxonico ita et hic ad vitandum heredibus imminens praeiudicium adnexa videtur. Caeterum autem ex scri-

ex iure prov.
Alemannico.

scribilasse hunc auctorem Saxonicarum consuetudinum
 corpus, dubio caret, quum integro *Articulo LII.* bis
 immo ter coctam apponat cramben diuinorum oracu-
 lorum dictamine abusus ad euincendam seruitutis in-
 iustitiam. Dein eo excessit ineptiarum, vt *Articulo*
LVIII. capite plectendam, combusto simul cadasere,
 statuat faemina liberam rem cum seruo habentem, ut
 adeo fugerint ipsum fundamenta decidendi Germanica,
 quae extra matrimonium cum seruo concubentem
 pariter ac thoro legitimo ei sociatam ingenuam mulie-
 rem libertate priuandam dominoque serui, quocum
 corpus miscuit, addicendam docent. Adeo parum fir-
 mus inhaeret *Speculator* opinioni suae, vt *Capite LX.*
 prolixum proferat sermonem de licita addictione in
 seruitutem domuum religiosarum. Igitur aut erronee
 adstruxit, generalem iuris regulam obstatre pacto de
 subeunda seruitute, aut supersticio in exceptione for-
 manda reprehendi meretur. Tandem mirum istud ca-
 put priuatis quibuscumque negat ius obnoxios alendi
 homines, quod vnicē tribuit ecclesiis, Principibus et
 Liberi Dominis. *Niemant mag eygen leut gehaben,*
 inquit, *dann Gottsheuer, und Färsten und Fryen.* Alle
 Dienftman heissen eygen in der Geschriftt, davon mögen
 sie nit eygen leut gehaben. Gebürt ein Dienftman an ein
 Gottskauß, und sagt er hab eygen leut, die synt synes
 Gottskauß eygen. Hat ein Fürst eygen Dienftman, und
 spricht er hab eygen leut, das ist nit, sic synt synes Her-
 ren. Manifestus profecto est error in eo commissus,
 quod hominibus propriis Interpres iurium Alemanni-
 corum accensit ministeriales, quos subiectos habere
 priuato homini et alii ministeriali non licebat, nisi quod
 Principes ministerialium officio sub ecclesiis nonnullis

fun-

32 DE DIFFERENTIIS IURIS ROM. ET GERM.

fungentes aulicis ministeriis et vasallorum turma non de-
stituerentur. Scopus haud sinit, plura de ministerialium
statu notare, et, quae ad pleniorum argumentum nostri
pertinent intellectum, posterior plana reddet exercita-
tio. Id solum non praetermitto, male cohaerere so-
mnia *Speculatoris*, quum Principes et in primis Comi-
tes atque Barones infinito ferme numero ministeriales
quum Regni tum Ducatum tum etiam ecclesiarum
fuerint ac coenobiorum, qui tamen largiente auctore
ipso ministerialium adquirendorum et officia eorum
ordinandi vtebantur potestate.

§. X.

De usu addi-
ctionis in ser-
vitutem
spontaneae
hodierno ge-
neratim.

Recentissimis quoque temporibus addictionis in
seruitutem voluntariae obtinet usus. Suppetunt exempla e documentis appendici operis POTGIESSERIA-
NI insertis, vbi inter Lutringhusani iudicij subditos con-
ventiones obnoxiam paciscentium sortem stabilientes
iudicis auctoritate sunt munitae. Ipsomet memini in-
strumenti publici paullo post initium saeculi XVII. a
praetore faeculari Susatensi confecti, quod transitum
liberae faeminae Elsabein Caffate spontaneum in pote-
statem dominicam collegii Virginum sacrarum in do-
mo religiosa ad Paradisum commorantium ad ipsius
faeminae, quae tribunal adierat, vor das Gericht und die
vier Baencken kommen, instantiam praesente monasterii
procuratore ratum declarauit. Ratio mutati libertatis sta-
tus in nuptiis cum homine monasterii proprio poneba-
tur, quocum haud contrahi potuisset matrimonium
absque libertatis abdicatione. Eodem hoc fundamen-
to bonorum adscriptitios possessores requirentium, vel
nuptiis vel alio quocunque contractu, adquirendorum
frequentia nostro adhuc aevo nituntur pacta seruitu-
tem

tem vel plenam et grauiorem vel leuiorem in se recipientium. Clientelarum enim nonnullae eandem penne induerunt formam, quae seruitus est in Germania. Neque desunt leges in prouinciis, vbi superfunt homines proprii, addictionem adprobantes voluntariam, quod ad liquidum exploratum est euoluentibus COR-
PORIS IURIS FRIDERICIANI, quale designatum, Partis I. Libri I. Tituli V. §phum 8. Quin tacita addi-
ctio faeminae liberae seruo nubentis, alibi quoque maris ingenui ancillam ducentis, iterumque alibi com-
morantium per anni spatium non minus testimonio est
permissae in hunc usque diem addictionis spontaneae.
Hoc autem momentum, quippe quod specialibus ad-
numerandum est capitibus, vna cum contemplatione
differentis seruorum pure et sub conditione iugo se
submittentium naturae, nec non meditationem pretii
participandi ergo factae apud Romanos venditionis,
plures demum singulares in utroque iure, Cisalpino ac
Transalpino, obuias visiones omittimus, et parti-
destinamus opusculi huius posteriori.

F I N I S.



E

NOBI-

NOBILISSIMO ATQUE DOCTISSIMO
DNO RÉSPONDENTI

S. P. D.

IOANNES TOBIAS CARRACH,

I C T V S,

POTENTISSIMO PORVSSORVM REGI A CONSILIIS

INTIMIS, IVRIVM IN FRIDERICIANA PROFESSOR-

PUBLICVS ORDINARIVS.

Non iniutilem disputas causam, NOBILISSIME
atque DOCTISSIME DOMINE SCHOLINE,
dum de spontanea in seruitutem addictione dis-
quiris. Quanquam enim serui obnoxii, qui
dicuntur, in his regionibus parum frequenter occur-
rant: nec tamen in aliis Germaniae terris idem di-
cendum, nec Iurisprudentia nostra limitibus certae
regionis circumscripta esse debet, nec prorsus im-
possibilis aut iniusta habenda est heic locorum ad-
dictio in seruitutem spontanea, licet peo iuris no-
stri ratione domino parum utilitatis esset adlatura.
Sed et alia supereft minus infrequens spontanea in
seruitutem addictio, intelligo nempe moralem, quam
illi sivebunt, qui aut virtus sese mancipant aut sen-
tentias

tentias aliorum, a quibus variis capti artibus, coe-
sue in academiis sive in foris sectantur impetu.
Vtramque iudico detestabilem et saluti reipublicae ad-
versam: quin potius officii est, et per virtutem in ve-
ram sese vindicare libertatem et per veritatis inda-
gationem sese liberare a seruili iugo praeiudicij, quod
vocant, auctoritatis. Vtrumque rite impleuisti, NO-
BILISSIME DNE RESPONDENS, per triennium, quo
in hac versatus es academia. Sane prima TIBI fuit
cira, ut morum integritati atque elegantiae semper
studeres, indeque TE miki maxime commendatum ha-
beo: non minori vero circumspectione iurisprudentiae
operam dedisti, in qua a discenda sponte TVA me
elegisti viae praemonstratorem, ita tamen ut nullo ab
aliorum doctrinis TE auocauerim modo. Singulari er-
go contentione animi interfueristi acroasis meis ad
Ius Ciuale tum Institutionum tum Digestorum ordine
traditum, ad Ius Ecclesiasticum atque Criminale, et,
quo ad forum TE magis praeparares, doctrinam de
Actionibus ex meo hausisti ore manuductioneque ad
Processum iudiciarium mea es gauisus. Gratulor ita-
que TIBI exantatos labores Academicos et tyroci-
nium studii Iuridici in specimine egregio rite pos-
tum: gratulor TIBI veram libertatem qua semper
fueristi conspicuus: gratulor et PARENTI TVO VIRO
PLVRIMVM REVERENDO Filium optimae spei:
et ut in posterum quoque omnia TIBI ex sententia
TVA fluant ex animo precor TVI studioſissimus.
Dab. Halae Magdeburgicae die XXV. Iunii Anni
CIOCCCLII.

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO QVE
DOMINO DEFENDENTI

S. P. D. A. P.

P R A E S E S .

Voluptatem, quam ex TVA, AMICE PRAENO-
BILISSIME, per triennium, quo cum Musis
nostris non sine fructu versatus es, percepti
consuetudine, publice iam testari monet offici-
um. Non quidem pro more TIBI carmina occino
solemmnia, quibus aliquando Praeses in ius, vel in ca-
thedram, vocare solet Respondentem vel effascinante et
impensus eum laudante voce animum defensuri ad cer-
tamen excitare. Hortatore non eges, qui alios ad acme-
landas acuis virtutes. Antequam in ampliorem hanc
academicam descendisti arenam, domini duce PAREN-
TE OPTIMO iam vacasti scientiis, et, praeter hu-
maniores litteras, mensurae studium, gestarum re-
rum cognitionem, rationis disciplinam et rerum na-
turae contemplationem in deliciis habuisti, imbuto-
que vitium argumentorum notitia animo sapientiae,
imprimis legitimae artis, curiosus discendi flagra-
sti desiderio. Fluxere haec tenus ex sententia, quae in
litterarum calendarum negotio suscepisti, admodum
profecisti in iis, quae viam sternunt laboribus foren-
sibus feliciter suscipiendis, ut non possim non ominari
vitam ad reipublicae comoda componendam, priuatae
simil dulcedine salutis insignem et exultantis PLVRI-
MVM REVERENDI PARENTIS laetitiae ex maximis
TVIS emolumentis sentienda fertilem. TV vero me
TVI amantissimum eximia caritate diligere pergas.
Vale. Coloniae Carolinae VI. Kalendas Quintiles A.
D. I. CICCCCLIII.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO ET AESTVMATISSIMO
DOMINO RESPONDENTI

S. D.

AVGVSTVS BENEDICTVS
MICHAELIS.

Studiis academicis finem impositurus, dissertationem defendis optime elaboratam, quae ipsa testimonium TIBI temporis in hac Musarum aede egregie collocati praebet certissimum. Nam quantum alii conuiuuis, alii minus liberali otio, alii prauorum hominum consuetudini, ludieris et vanis artibus alii temporis tribuant, tantum TE TIBI ad excolenda litterarum studia sumisse, vel me tacente, eruditum hoc specimen loquitur. Hanc erectam animi TVI indolem, si non publica quadam gaudii significatione celebrarem, mihimet ipsis viderer, plane ab omni cultu et urbanitate alienus, praesertim cum opponentis in hoc academico conflictu munus humannissime mihi demandaueris. Paucis itaque honorum verborum officio iam defungor et optime emensum studiorum academicorum stadium iterum TIBI iterumque gratulor, NVMEN precatus, ut digna diligenteriam TVAM et eruditionem praemia mox sequantur. Vale.

F

Mon-

Monsieur,
Mon très-cher et très-honoré Ami.

Le jour d'aujourd'hui me frappe doublement, il retrace à ma memoire l'honneur, qu'il VOUS a plu me faire de m'admettre au nombre de VOS amis, et il me représente pareillement VOS soins, VOTRE application et VOS veilles dans ce jour, où VOUS allez donner des preuves publiques des progrés considérables, que VOUS avez fait dans cette vaste étude de la Iurisprudence. Permettez, MONSIEUR, que je m'accorde de ce que je VOUS dois à l'égard de notre ancienne amitié, en VOUS felicitant par avance de la Victoire, que je suis sûr que VOUS allez remporter. Mais oserai-je bien l'avouer ! cette preuve de VOTRE erudition me cause déjà une amère affliction, parce qu'elle m'annonce VOTRE pronostic de départ, et qu'en VOUS perdant je perds un ami du siècle d'or, c'est à dire, un ami plein de sincérité, de sagesse, de probité et d'une quantité d'autres belles vertus. Mais je m'égarerai, je ne saurois VOUS perdre, VOUS avez le cœur trop bien placé pour jamais m'oublier; j'espere plutôt, que VOUS me ferez toujours la douce faveur de m'honorer de VOTRE cher souvenir, et de me croire en même tems avec beaucoup de considération

Monsieur,

Votre très-humble et très-
obéissant Serviteur
C. D. LASSAHN
Opposant.

PRAE-

PRAENOBILISSIMO DOCTISSIMO
HONORATISSIMO QVE
DOMINO RESPONDENTI

AMICO AC FAVTORI SVO

S. P. D.

FRIDERICVS CAROLVS GOECKEN

EX AVGIA VETERI VSIPES

O P P O N E N S.

Elogiorum mihi profecto amplissimus pateret campus, in quem per facile excurrere possem, nisi me a longiore oratione spatiuum, atque in primis singularis TVA, quae omnibus innotuit, modestia defenserent. Etenim, si quisquam alias, TV sane meruisti, ut inter assiduos ac elegantissimos LL. cultores primo colloceris. Quodsi enim vel solam TVAM discendi methodum intuear, lubenter largior, non aliter fieri potuisse, quam ut mirifice in Iuris prudentia nostra incrementa caperes: imbutus enim solidis senioris Philosophiae principiis, non illotis manibus, TE ad sacra Themidis contulisti. Quo pacto obtigit TIBI, quod perpaucis, ut solidissima Iuris prudentiae scientia adornatus, nunc specimen elegan-

tissimum eruditionis TVAE publice edas. Gratulor
TIBI hanc in rem iterumque gratulor, TEque abe-
untem votis prosequor ardentissimis D. O. M. supplex
venerans, ut TE post emensum studiorum TVORVM
stadium patriae TVISQUE fessitem ac saluum restituat,
et, ut omnia TIBI ex voto et feliciter succedant, SVM-
MVM NVMEN precor. Vale, mi SCHOLINE, in lon-
gissimum tempus, ornamentum ac familiar decus in-
reipublicae vtilitatem. Vale et miki nunquam non faue.
Dabam Hala, cI 10 CCLIII. Idib. Iunii.

Sphalmata Typographica.

- p. 2. lin. 13. loco: haee, lege: haec.
p. 5. lin. 15. loco: Roman, l. Romam.
p. 18. lin. penult. loco: xerzen, l. xerzen.
p. 30. lin. 8. loco: est, l. sit.



30
24
720

Fr. 240
333

ULB Halle
002 612 259

3





283. 7
1753
21

FORTVNANTE NVMINE EXVPERANTISSIMO
EXERCITATIO IVRIDICA PRIOR
DE
DIFFERENTIIS IVRIS
ROMANI ET GERMANICI
IN
ADDICTIONE
IN
SERVITVTEM
SPONTANEA
ET
ad L. 10. C. de Liberali causa
Q V A M
AVCTORIT. INLVST. I. CTORVM COLLEGI
IN REGIA FRIDERICIANA
P R A E S I D E
D. IOANNE PHILIPPO CARRACH
IVRIVM PROFESSORE PVBLICO ET ORDINIS I. CTORVM
ADSESSORE
D. IVNII A. O. R. C 1754.
PVBLICAE DISQVISITIONI SVBMITTET
FRIDERICVS IMMANVEL SCHOLINVS
ALSLEBIENSIS MAGDEBURGICVS.

HALLAE SALICAE
PRELO IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.